

est de his, ut de his, qui moriebantur ante circumcisionis institutionem. Quod etiam intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octavum diem tempore legis.

Ad 4, dicendum, quod in circumcisione auferebatur originale peccatum ex parte personæ; remanebat tamen impedimentum intrandi in regnum cælorum ex parte totius naturæ, quod fuit sublatum per passionem Christi. Et ideo etiam baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum. Sed et circumcisio, si haberet locum post passionem Christi, introduceret in regnum.

Ad 5, dicendum, quod adulti, quando circumcidebantur, consequentur remissionem, non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum. Non tamen ita, quod liberarentur ab omni reatu pænæ, sicut fit in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

Materia hujus articuli fuisse satis tractata est supra in materia de sacramentis in genere; circa litteram autem D. Thom. nihil necesse est addere, præter ea, quæ in præcedentibus dicta sunt.

QUESTIO LXXI.

DE PRÆPARATORIIS, QUÆ SIMUL CONCURRUNT CUM BAPTISMO, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de præparatoriis, quæ simul concurrunt cum baptismo.

Et circa hoc quærentur quatuor.

1. Utrum catechismus debeat præcedere baptismum.
2. Utrum baptismum debeat præcedere exorcismus.
3. Utrum ea, quæ aguntur in catechismo et exorcismo, aliquid efficiant vel solum significant.
4. Utrum baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per sacerdotes.

DISPUTATIO XXX.

DE RITU AC CIRCUMSTANTIIS, SEU CÆREMONIIS IN SOLEMNI BAPTISMO OBSERVANDIS.

Postquam dictum est de essentia et omnibus causis, ac effectibus baptismi, superest, ut de cæremoniis, quæ sunt veluti accidentia, sive proprietates ejus, pauca dicamus. Supponimus autem, baptismum in Ecclesia duo-

bus modis celebrari posse: primo, privatim et absque speciali solemnitate; et tunc nullum specialem ritum requirit præter ea, quæ sunt de essentia, quia ut sæpe dictum est, in quovis loco, quovis tempore, a quacumque persona ministrari potest, dummodo necessitas id requirat. Secundo datur baptismus publice et solemniter, adjunctis quibusdam cæremoniis ab Ecclesia institutis, quarum antiquitas et ratio explicanda a nobis est. Et has cæremonias vocat hic D. Thomas præparatorias ad baptismum; quas dicit simul cum illo concurrere, non quia omnino eodem tempore fiant; quædam enim antecedunt, aliæ comitantur, aliæ vero baptismum consequuntur; tamen quia proxime ad illum ordinantur, moraliter dicuntur simul cum illo fieri. Quoniam vero D. Thom. solum de quibusdam ex his ritibus in particulari disserit, visum est, nonnulla prius in communi præmittere, ut res tota melius et copiosius comprehendatur.

SECTIO I.

Quibus de causis, seu ad quos effectus institutæ sint cæremoniæ baptismi.

1. Cum hæretici omnes Ecclesiæ cæremonias generatim contemnant, multo tamen magis has irrident, quas in baptismo servat Ecclesia; maxime propter earum multitudinem, quæ videtur valde onerosa et inutilis, et specialiter, quia quædam earum videntur nimis supersticiosæ, et non solum inutiles, verum etiam contemptibiles, ut sunt gustus salis, tactus narium et aurium saliva. Addunt, in primitiva Ecclesia simpliciori modo, absque hujusmodi observationibus datum esse baptismum, nam quocumque tempore et loco, in fluviis et fontibus, baptizabantur credentes, ut ex Act. 8 et 16, colligi potest, et tractat Walfredus Strabo, lib. de Rebus Eccles., cap. 26.

2. Conveniens fuit baptismum in Ecclesia solemniter aliquo ritu celebrari. — Redditur quadruplex ratio cæremoniarum baptismi. — Dicendum vero est, convenientissimum fuisse, ut baptismus solemniter aliquo ritu in Ecclesia traderetur. Hæc conclusio est de fide; ad quam confirmandam sufficit Ecclesiæ auctoritas, usus, perpetuaque traditio, de qua statim in particulari plura afferemus. Videri etiam possunt supra tractata disput. 15, sect. 2, ubi in genere rationes sacramentalium rituum indicavimus. Nunc solum expli-

candæ sunt causæ, ob quas hic usus cæremoniarum magis quodammodo in baptismo, quam in aliis sacramentis observatus et auctus est; plures enim cæremoniæ in hoc sacramento ministrando, quam in cæteris observantur. Possunt autem hæ causæ ad quatuor capita reduci, quæ sunt instructio, significatio, efficacia, ornatus seu decentia aut reverentia sacramenti. Primo enim per hoc sacramentum regeneratur homo, et a dæmonis potestate ad Dei cultum et amicitiam traducitur, et ab infidelitate ad fidem, et in Ecclesiæ gremium recipitur; oportet ergo, ut prius instruat et disponatur; ad hunc ergo finem maxima pars harum cæremoniarum ordinatur, ut de catechismo docet D. Thom. statim art. 1, de quo ibi plura afferemus. Secundo, oportuit non solum doctrina et verbis, sed etiam rebus ipsis, et actionibus significari mysteria, quæ in baptismo continentur, vel propter ipsum baptizatum (si sit adultus), vel saltem propter alios fideles, qui sensibilibus signis indigent, quibus excitentur ad intelligenda supernaturalia mysteria, ut ea possint facilius memoria retinere; hæc ergo de causa adhibitæ sunt multæ cæremoniæ propter significationem, ut docet Augustin., 1 lib. de Peccat. mer. et remis., cap. 26, et aliis locis, quæ in dicta disp. 15 citavi, et in sequentibus omnia hæc signa breviter exponemus. Tertio, nonnullæ ex his cæremoniis creduntur exhibitæ propter efficaciam alicujus spiritualis effectus, qui duplex excogitari potest, scilicet ablatio alicujus mali, seu impedimentorum, quæ vel sacramentum, vel effectum ejus impedire possunt; vel collatio, seu impetratio alicujus boni. Propter priorem effectum censetur institutus exorcismus, de quo D. Thom. art. 2; quamvis Altisiodorens., lib. 4 Summæ, tract. 3, cap. 4, quæst. 4, censeat solum adhiberi propter significationem, præsertim in baptismo infantium. Alii vero tantam censent esse hujus exorcismi efficaciam, ut minuatur pœna peccato originali debitam, si forte, qui exorcizatur, ante susceptum baptismum moriatur. Sed hoc valde frivolum est, tum quia reatus pœnæ non minuitur, si culpa eadem semper maneat; tum etiam quia pœna originali peccato debita minima est, et suo modo indivisibilis. Si quam ergo efficaciam habent hæ cæremoniæ in liberando a malo, solum est, quoad coercendam dæmonis potestatem circa hominem baptizandum. Et hoc sensu dicitur dæmon ab illo expelli, non quia semper ante baptismum

homo sit obsessus a dæmone; sed quia ratione originalis peccati quodammodo est ejus potestati traditus, et ampliorem facultatem, seu licentiam accepit hominem affligendi ac tentandi; hæc igitur ejus potestas arcetur, atque impeditur, per exorcismum, ne ulla ratione noceat homini baptizando, eumque a sacramento suscipiendo impediatur; qui effectus fortasse non obtinetur solum pro eo tempore, quo datur baptismus, sed etiam in futurum. Alter effectus, quasi positivus per collationem alicujus doni, difficilius explicatur; docet tamen hunc effectum D. Thom. hic, art. 3, ad 4, ubi ait: *Inunctio, quæ fit in vertice, operatur conservationem gratiæ baptismalis*; ubi Cajetan. ait, posse hoc intelligi, vel per remotionem impedimenti tentantis dæmonis, vel per excitationem alicujus boni motus; sed prior effectus magis pertinet ad exorcismum; posterior vero, neque in parvulis locum habet, neque in adultis videtur posse sufficienti fundamento affirmari, ut Durand., Paludanus, et alii Scholastici notarunt; quapropter incertus satis est hic effectus. Sed oportet recolere quod supra de sacramentis in genere diximus, hanc efficaciam non esse proprie ex opere operato, neque ex solo merito operantis, vel ministri, vel hominis baptizandi, vel aliorum astantium, sed fundari in impetratione totius Ecclesiæ, cujus nomine et auctoritate hæc omnia fiunt; fieri ergo potest, ut sicut Ecclesia impetrat per hæc sacramentalia, ut Deus coerceat dæmonis potestatem, ita etiam impetret bonum animæ motum ad resistendum illi, et gratiam conservandam: qui motus, vel statim detur, si homo fuerit capax et illo indigeat, vel postea, tempore opportuno; atque ita poterit hic effectus habere locum in infantibus, ut magis ex his, quæ dicemus, in singulis cæremoniis constabit. Quarta causa, seu ratio harum cæremoniarum est, propter decentiam et ornatum tanto sacramento debitum; cum enim hoc sacramentum sit Ecclesiæ janua, et prima solemniter fidei professio, decuit majori pompa et celebritate fieri. Deinde, quia substantialis ritus hujus sacramenti est simplicissimus, et paucissimis rebus, et vulgaribus, ac communibus perficitur, quia ita fieri oportuit propter ejus necessitatem; ut ergo majori reverentia tractaretur, et ne apud rudiores homines vilesceret, oportuit debito cæremoniarum cultu celebrari.

3. Ad hæreticos ergo nihil est, quod res-

pondeamus, quia nihil obijciunt, quod ratione vel auctoritate nitatur; negatur enim, hunc caeremoniarum ornatum esse, vel nimis onerosum, vel inutilem; neque enim tanta est rituum multitudo, quin possit facile observari ab Ecclesiae ministris, quos oportet in hujusmodi rebus satis esse instructos. Quae vero in his rebus sit utilitas jam explicatum est, magisque ex dicendis constabit; ubi singulas caeremonias a calumniis haereticorum vindicabimus. Nec quidquam valet argumentum sumptum ex initio Ecclesiae, quando coepit baptismus ministrari, quia tunc Ecclesia non erat satis fundata; et aliunde non erat tanta necessitas, propter spiritus abundantiam; de qua re legi potest egregius locus apud Ambros. circa id ad Ephes. 4: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, etc.* Quanquam etiam tunc non omnino defuerunt hujusmodi caeremoniae, sed a principio aliqua observatae sunt, saltem quoad substantiam earum, ut sunt illae, quae pertinent ad catechismum, seu instructionem baptizandorum; reliquae vero paulo post institutae sunt, vel Apostolorum tempore, vel prope illud, ut ex antiquissima traditione constat, quam praedicta disput. 15 tetigimus, et in sequentibus copiosius indicabimus.

SECTIO II.

Quinam sint quamve antiqui ritus in baptismo solemniter observandi.

4. Ritus omnes, seu caeremoniae, quas in solemniter baptismo servat Ecclesia, convenienti ordine distingui possunt juxta numerum circumstantiarum, quae a philosophis moralibus tradi solent, quae sunt, quis, quid, circa quid, quibus auxiliis, quomodo, ubi, quando; omitto circumstantiam, propter quid; nam haec non tam pertinet ad ipsum

nam in casu necessitatis nulla unquam fuit, nec prudenter esse potuisset ulla temporis limitatio determinata. Hanc veterem consuetudinem observavit D. Thom., supra, quest. 66, art. 10, quem in hunc locum explicandum remisimus; et colligitur ex antiquissimis decretis, quae leguntur apud Gratianum, de Consecrat., dist. 4, cap. Baptizandi, ex Gelasio Papa in epist. ad Episcopos Lucaniae, cap. 12, et ex Conc. Parisiensi, cap. 7, et in c. de Catechumenis, ex Conc. Gerundensi, cap. 4, et cap. Duo tempora, et cap. Si qui, ex Leone Papa, epist. 4, ubi hoc gravissime praecipit; atque idem habet in epist. 68. Item in c. Non ratione, ex Siricio Papa, in epist. 1, ad Himerium Tarraconensem Episcopum; alia decreta refert Burchardus, lib. 4 sui decreti, cap. 3, 6 et 7, ex Victore Papa, epist. ad Alexandrinos, et Concilio apud Compendium, cap. 3, et ex Concilio Wormatiensi, cap. 10. Ejusdem consuetudinis meminit Tertullian., lib. de Baptismo, cap. 91, et lib. de Corona militis, cap. 3, et Hieronym., epist. 61, ad Pammachium, contra errores Joannis Hierosolym., circa finem, et in illud Zach. 4: *Exibunt aquae vivae de Hierusalem: Multi, inquit, ad baptismum referunt aquas viventes, quae in vere, et aetate, hoc est, in Pascha et Pentecoste, sitientibus largiendae sunt.* Ambrosius ad Ephes. 4: *Neque quocumque die, inquit, credentes tinguntur, nisi aegri.* Eadem consuetudo colligitur ex Greg. Turonensi, lib. 5 Histor., cap. 41, et lib. 6, cap. 27; August. in lib. de Symbolo ad Catechumenos; et ex epistola Chrysost. ad Innocentium; quam etiam refert Nicephor., lib. 13 Histor., cap. 49; et ex Alcuino, de Ecclesiast. officiis, cap. de Baptismo Domini, et cap. de Sabbato sancto. Quin potius videtur colligi ex Concilio Matisconensi, cap. 3, alicubi observatum esse, ut tantum in festivitate Paschae baptismus

diebus sabbati Paschae et Pentecostes, sed in omnibus diebus utriusque paschalis hebdomadae fuisse consuetum, baptismum celebrari, ex Rhenano in annotationibus in Tertull., locis citatis. Sed contrarium colligitur fere ex omnibus locis adductis, et ex vestigiis illius antiquitatis, quae adhuc in Romana Ecclesia permanent. Imo et Alcuinus horam baptismi designat, scilicet, horam diei nonam, vel quia ea hora Christus obiit, vel quia ea hora Petro oranti revelatum est, ut gentes ad baptismum reciperet et Cornelium baptizaret. Rationes autem hujus institutionis attingunt Leo Papa, Tertullian., D. Thom. et alii Patres supra citati, scilicet, quia baptismus ex passione Domini habet efficaciam delendi peccata, et ad instar resurrectionis ejus nos transfert de morte ad vitam; et ideo merito eo die celebratur, quo passio Domini consummata est et resurrectio. Addebat vero dies Pentecostes, vel quia toto illo tempore resurrectio Domini, et paschalis festivitas celebratur, ibique consummatur; vel, quia tunc gratia Spiritus Sancti copiosius diffusa est; vel quia tunc baptismus ab Apostolis publice praedicari et ministrari coepit. Haec autem consuetudo usque ad tempora Caroli Magni duravit, ut Rhenanus et Pamelius, annotationibus in librum Tertull. de Baptismo, adnotarunt, postea vero aboleri coepit, jamque omnino antiquata est, quantum ad obligationem praecipit spectat; nam quantum ad observantiam, ob antiquitatis reverentiam et memoriam, adhuc Romae hujus consuetudinis vestigia servari videmus; nam, licet aliis etiam temporibus anni baptismata celebrari consueverint, tamen illis duabus festivitatibus specialiter, ut par est, solemnitate fiunt. Ratio autem, ob quam hic mos mutatus est, facile sumi potest ex Ruperto Abbate, lib. 4 de Divin. offic. cap. 48 dicente: *Postquam*

infans, baptizandus est quam primum, si sine mortis probabili et morali periculo baptizari possit; nulla enim aetas, etiam unius diei, inepta est baptismo, ut recte D. Cypr., epist. 89, et B. August., epist. 28; si vero sit adultus, cum primum fuerit convenienter instructus, atque dispositus, baptizandus est, nec differendus est baptismus, quoad commode fieri possit, ut late tractant Gregorius Nazianz., orat. 40, et Basilius, in exhortatione ad baptismum.

3. Quo loco baptismus sit celebrandus. — Non licet extra Ecclesiam baptizare extra necessitatem. — Secunda circumstantia est locus: de qua constat, nec ex natura rei, neque ex divino jure quicquam esse praescriptum. Unde olim in fluviiis, fontibus, in privatis domibus, et aliis locis similibus baptizabantur fideles, ut ex Act. 2, 8, 10 et 16, colligi potest. Quamvis autem divina lex nihil circa hoc in particulari statuerit, aut decreverit, tamen, quia baptismi sacramentum res est admodum sacra, et prima ac solemniter christianae religionis professio, ideo, postquam res Ecclesiasticae ad convenientem ordinem reduci potuerunt, merito certa sunt loca designata, ut in eis baptismus administraretur, quae olim baptisteria dicebantur, ut constat ex Concil. Antisiodor. sub Deusdedit, cap. 14, ubi prohibet mortuorum corpora in baptisterio sepeliri, et ex Cyrillo Hieros., catech. 4 Mystagogica, dicente: *Primum ingressi estis in porticum domus baptisterii;* item, ex Nazianzeno, orat. 40, et Paulino, epist. 12, ad Severum; ex quibus, et ex aliis antiquis decretis colligere licet, olim hunc baptismi locum separatum ab Ecclesia fuisse; imo et in singulis civitatibus seu oppidis unum tantum extitisse; postea vero in singulis parochialibus Ecclesiis sunt propria baptisteria designata; de quibus sic legitur in

zare, ut expresse statuitur Can. 59 Trullano, et colligitur ex Concil. Meldensi, cap. 48, apud Burchardum, lib. 4, cap. 14, et in Clem. unica, de Baptismo, ubi filios regum et principum ab hoc præcepto excipit; ubi Glossa late disputat, qui nomine Principum comprehendantur, et adductis variis iuribus concludit, illa voce plus videri significari, quam nomine Ducis, Marchionis, etc., quod videtur verum, præsertim quando hi non sunt supremi, sed sub regibus constituti; solum ergo videntur posse uti hoc privilegio reges, vel alii supremi potentatus, qui fere regibus æquiparantur. Existimo autem, ibi non concedi privilegium baptizandi hos filios principum sine solemnitatibus reliquis, quia ibi solum fit mentio hujus circumstantiæ loci; si ergo extra casum necessitatis seu periculum mortis domi baptizentur, solemniter ritu baptizandi sunt, servatis reliquis cæremoniis, quia nulla est causa, vel ratio sufficiens ad illud privilegium extendendum. Tertia est circumstantia, Quis, quæ in præsentem excogitari potest ex parte ministri baptizantis. De qua re, præter ea, quæ diximus supra, disputatione 23, sect. 2 et 3, nihil fere addendum occurrit; nam omnis conditio personæ, quæ non est simpliciter necessaria ad substantiam sacramenti, potest dici pertinere ad hunc accidentalem ritum, et ad hanc circumstantiam, de qua nunc tractamus; quamvis, quæ ibi diximus, magis sint in ipso jure divino fundata, supposita institutione, quam in sola aliqua Ecclesiastica lege. Præter hæc autem non inveniuntur alium ritum ex parte hujus personæ esse necessarium ex Ecclesiæ ordinatione; nisi forte, quod spectat ad aliqua vestimenta sacra, quibus ornari debet minister, qui sacramentum baptismi solemniter ministrat; de quibus servanda est Ecclesiæ consuetudo, et officium Romanum, seu alii recepti rituales libri consulendi. Communis tamen usus obtinuit, ut minister solemniter baptizaturus, saltem superpellicio et stola amictus sit. Quem stolæ usum antiquissimum esse in hoc ministerio, colligi potest ex Theodoro, lib. 2 Histor., cap. 27, ubi refert, Constantinum Machario, Hierosolymorum Episcopo, stolam ex aureis filis contextam dedisse, ut ea amictus sacrosancti baptismatis munus obiret. Quarta circumstantia, seu cæremonia adjungi potest præcedenti, scilicet susceptori, seu patrinus, quæ spectare videtur ad circumstantiam, quibus auxiliis; nam susceptor ab Ecclesia introductus est, quasi

in auxilium ministri, et ut ejus onus ex parte suscipiat, de quo satis dictum est supra, quæst. 67, art. 7 et 8.

4. *Qui ritus observandi sint circa formam. — Cur aquæ benedictio et consecratio baptismum præcedat. —* Quinto loco numerare possumus circumstantiam, Quid, qua voce proprie et in rigore sumpta, substantia ipsius actionis significari potest, et hoc sensu, quod hic præcipue fit, est substantia ipsius sacramenti, quæ consistit in ablutione sub tali verborum forma, debita intentione facta; quod sub hæc præcisa ratione non pertinet ad ritum accidentalem, de quo agimus, sed ad substantialem; tamen, in ipsa materia et forma, vel circa ipsas aliquid observatum, seu adjunctum est ab Ecclesia, quod nos dicimus pertinere ad ritum accidentalem ex parte hujus circumstantiæ. Et in primis ex parte formæ pauca observare possumus, quæ ad accidentalem ritum pertineant, eaque satis notata sunt supra, disp. 21, scilicet, quod forma exprimitur verbis ab Ecclesia usitatis, et in eo idiomate, quo ipsa in publicis officiis ac cæremoniis utitur. Rursus hoc loco annumerari possunt benedictiones aliæ, seu deprecationes, quas sacerdos cum aliis actionibus adjungit in ipso baptismo, de quibus statim dicemus. Præterea ex parte materiæ duæ cæremonie seu ritus considerari possunt. Unus est ex parte materiæ proximæ, quæ est ablutio; ad quam pertinet, quod fiat per immersionem unam, vel trinam, aut per aspersionem. De qua re satis in superioribus dictum est, disputat. 20. Alter est ex parte materiæ remotæ, quæ est aqua, ad quam spectat, ut aqua prius benedicatur, et consecretur, quam ad usum baptismatis assumatur; quanquam enim hoc non sit de substantia sacramenti, ut satis constat ex supra tractatis disputatione 20, et ideo necessitate urgente, quacumque aqua naturali possit perfici baptismus, ut habetur etiam in Decretis Victoris Papæ, 4 tom. Conciliorum, nihilominus antiquissima Ecclesiæ consuetudo obtinuit, ut prius aqua benedicatur, seu sanctificetur. Unde Dionys., c. 2 de Eccles. Hier.: *Sacra, inquit, appellatione invocationeque sanctificatis aquis, cum eas trina unguenti perfusione, crucis species perfecit, etc.* Unde Basil., lib. de Spiritu Sancto, cap. 27, hanc dicit esse apostolicam traditionem. Idem, August., lib. 6 contra Julianum, c. 8, et serm. 181 de Tempore, ubi dicit, crucis signo sanctificari fontem baptismatis. Idem,

serm. 19 de Sanctis, et tract. 118 in Joan., et lib. 50 Homiliarum, in hom. 27. Ratio vero hujus cæremonie præcipua et potissima esse videtur, vel ut conciliet majorem reverentiam circa hoc baptismi sacramentum, vel ut nobis significet Spiritus Sancti gratiam, quæ per ablutionem hujus aquæ, et virtutem passionis Christi (unde hæc aqua vim suam et efficaciam habet), mirabiliter et infallibiliter, ex opere, ut loquuntur Theologi, operato baptizatis confertur. Hæc enim videntur significari in infusione olei cum benedictione et crucis signo. Aliqui etiam ex Patribus significant, hanc consecrationem aquæ adhiberi, ut virtutem accipiat regenerandi; sic enim scribit Cypr., epist. 70: *Oportet mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Unde postea colligit, qui non potest aquam sanctificare, nec baptismum dare posse; et Ambr., lib. de Iis qui mysteriis initiantur, cap. 3: *Aqua sine prædicatione dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est; cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri et salutaris poculi temperatur.* Et lib. 4 de Sacramentis, cap. 5: *Non aqua omnis sanat, nisi Spiritus Sanctus descenderit, et aquam illam consecraverit; et subdit inferius: Usus hoc habet, ut ante fons consecretur, et tunc descendat, qui baptizandus est, etc.*; loquitur ergo Ambr. de consecratione aquæ prævia ad baptismum; et illam dicit esse necessariam; sic etiam August., lib. de Utilitate pœnitentiæ, cap. 4: *Non est, inquit, aqua salutis, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur.* Sed hæc Patrum testimonia sano modo interpretanda sunt; non est enim verisimile eos credidisse, hanc accidentalem sanctificationem aquæ esse de necessitate baptismi; sed illam aquæ consecrationem, quæ fit per sacramentalem usum, et conjunctionem formæ sacramentalis cum aqua, ex qua habet vim sanctificandi, juxta illud August., tract. 80 in Joan.: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo?* tamen quia hæc ipsa veluti substantialis consecratio per aliam cæremonialem significatur, ideo indistincte de consecratione aquæ loquentes dicunt Sancti, aquam non sanctificare, nisi fuerit in Christo consecrata. Indicant etiam, ex usu Ecclesiæ, fuisse hanc consecrationem necessariam, non necessitate sacramenti, sed præcepti, adeo

ut, juxta Ecclesiæ consuetudinem, quamvis in solemniter baptismo soleat in ipso baptismo consecratio aquæ præmitti, nihilominus pro his, qui necessitate baptizantur, soleat aqua consecrata servari, ut ea baptismus perficiatur, ut ex Cyrillo Hierosolym., catech. 5, et Optato Milevitano, lib. 5 contra Parmenianum, et ex aliis veteribus colligit Pamelius in annotationibus ad Tertullianum, lib. de Bapt., cap. 4, num. 27. Quin etiam observare licet ex Alcuino, lib. de Divinis officiis, cap. De sabbato Paschæ, fuisse solitos fideles de aqua sanctificata baptisterii secum deferre ad aspergendas domos, etc.

5. *Qui ritus adhibentur ex parte personæ.* — Sexto loco recenseri possunt omnes cæremonie, quæ ex parte personæ, circa quam baptismus exercetur, adhibentur, quas D. Thom. ad duas revocat, baptismum scilicet et exorcismum; et sub eis alias minutiores complectitur, de quibus in Commentariis articulorum commodius ac brevius dicemus. De circumstantia vero, Quomodo, nihil addere oportet, quia in præsentem nihil addit ab aliis cæremoniis, seu earum collectione diversum; nam omnes adhibitæ sunt, ut baptismus convenienti modo fiat; et hic convenientis modus in hoc solum consistit, quod cum substantiali ritu servetur accidentalis in aliis actionibus seu conditionibus, quæ baptismum circumstant. Solum ergo superest, ut circa D. Thom. textum pauca notemus.

ARTICULUS I.

Utrum catechismus debeat præcedere baptismum
(4, dist. 6, quæst. 2, art. 2, quæst. 1).

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur, quod catechismus non debeat præcedere baptismum; per baptismum enim regenerantur homines in vitam spiritualem. Sed prius homo accipit vitam, quam doctrinam. Non ergo prius debet homo catechizari, id est doceri, quam baptizari.*

2. *Præterea, baptismus exhibetur non solum adultis, sed etiam pueris, qui non sunt doctrinæ perceptibiles, eo quod non habent usum rationis. Ergo ridiculum est eos catechizare.*

3. *Præterea, in catechismo confitetur catechizatus suam fidem. Sed pueri non possunt suam fidem confiteri, neque per seipsos, neque etiam aliquis alius pro eis, tum quia nullus potest alium ad aliquid obligare; tum etiam quia non potest aliquis scire, utrum pueri, cum ad legitimam ætatem pervenerint, assen-*